



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866

De S. Badilone Abbate Lutosæ In Hannonia Commentarius
Historico-Criticus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)

DE S. BADILONE ABBATE

LUTOSÆ IN HANNONIA

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

§ I. Loci notitia : Lutosani monasterii, cui Sanctus præfuit, primordia :
Sancti ætas discussa : ejus ab homonymis distinctio et religiosa vita.

In eo veteris Brabantii tractu, qui hodierni comitatus Hannoniæ pars est, ac Scaldi, Haina Teneraque fluxibus concluditur, visitur æquali fere Tornacum inter et Athum intervallo nudatum modo sua munitione oppidum, pari ac ceteræ ejusdem Hannoniæ comitatus urbes privilegio et civitatis prerogativa gaudens, cui Lutosæ et Lotusa Latine, Belgice vero Leuze et Leuse nomen inditum est. Hunc antiquum admodum locum apostolicis S. Amandi, regionarii primum, deinde Trajectensis episcopi, sudoribus rigatum ac sacris decoratum laboribus fuisse, vetustissima perhibet fama, cui omnino suffragatur Cameracensis atque Atrebatensis Chronici auctor Baldericus; non ille, contra ac Benedictini tom. 9 Galliæ Christ. auctæ col. 995 et seq., ac Lutosani tradunt, qui Noviomensis ac Tornacensis ecclesiæ episcopus anno 1113, obiit, qui quæ ante ecclesiæ Taruanensis canonicus, et cantor, ac Noviomensis archidiaconus fuit; sed qui Cameracensi a juventute moratus, Cameracensis dein canonicus Gerardo I, Cameracensi antistiti, ante annum 1052 defuncto, perquam familiaris et a secretis fuit, primumque saltem sui Chronici librum ante ejusdem jam nunc laudati præsulis mortem ex annalibus atque historiis patrum, Gestis regum, et ex chartis quoque in archivo ipsis ecclesiæ repertis summa diligentia concinnavit. De quo qui plura volet, consulat is Boshium nostrum tom. 2 Augusti pag. 670 et tomum 8 Historiæ litterariæ Franciæ pag. 402, eaque, quæ in Commentario de S. Ragenfrede pag. 301 disputata fuerunt.

2 Quid porro auctor ille eruditus fideque dignissimus ad rem nostram in litteras miserit, ex Chronici ejus libro 2, cap. 43, pag. 263 audiamus. Est, inquit, monasterium quoque canonicorum in honore Apostolorum Petri et Pauli in vico, qui dicitur Lutosæ, quod construxit Beatus Amandus: et est dives abbatia, ubi vir Dei venerabilis Baidilo (ita Colcenerius ejus nomen expressit) requiescit, qui corpus sanctæ Mariæ Magdalensæ de Hierusalem in Burgundiam in loco Vercelliano attulisse fertur. Singula hæc atque pauca aliunde hausta, quandoquidem Sancti Vita ex professo, ut aiunt, scripta non fuit, aut certe temporum iniquitate intercidit, sedulo hic discutere visum est. Ac primo quidem quod ad Lutosanum, cui S. Badilo seu Baidilo aliquando præfuit, monasterium attinet, illud Henschenius tom. 1 Febr. pag. 831, a S. Amando, regionario tunc episcopo, anno Christi 632 constructum esse, suspicatur, nimirum postquam hic Vir san-

ctus Tornaci mortuum, patibulo detractum, ad cellam suam curavisset deferri, fuisque ad Deum precibus ad vitam revocasset; cui sane opinioni plurimum favet Baudemundus, S. Amandi discipulus, asserens citato tomo Februarii pag. 851, num. 14, statim atque hoc miraculum longe lateque divulgatum est, incolas regionis illius, ac proin et vicinos Tornaco Lutosanos, cursu celeri ad eum convenisse, et ut eos faceret Christianos, humiliter postulasse, tuncque destructis idolorum fanis, statim monasteria aut templa ab eodem fuisse constructa; ex quorum numero existitisse Lutosanum, idcirco facile creditum est, quod aptius, quam hoc, assignari tempus et occasio extractionis nequeat.

3 Atque hinc non parum mihi displicet, nescio, quam antiqua Amandopolitanorum seu Elnonensium monachorum traditio, cujus R. A. D. Hubert, Lutosani capituli ad status Hannoniæ, ut vocant, deputatus, in missis ad me de S. Badilone notitiis mentionem fecit, quæque Elnonensium monachorum coloniam a S. Amando ad incolendum primitus Lutosanum monasterium evocatum fuisse adstruit. Etenim, cum Elnonensis cœnobii primordia non citius, quam anno Christi 638 figi queant, prout Henschenius noster cit. tom. Februarii pag. 831, num. 81, et Cointius in Annalibus eccles. Francorum tom. 3 pag. 89 ostendunt; qui, quæso, fieri potuit, ut vel ab anno 631 ad conditum Lutosæ monasterium Elnonenses monachi, qui illud incolerent, a S. Amando evocati fuerint? At demus tantisper, annis aliquot serius Lutosanum canonicorum, quam Elnonense cœnobitarum monasterium a Viro Apostolico conditum fuisse; ne sic quidem credere licet, Elnonensium monachorum coloniam Lutosam a S. Amando directam fuisse, nisi hi a monastico instituto ad canonicum (quod tamen nemo sibi in animum facile inducet) mox convolasse dicantur, vel nisi Baldericus, monasterium canonicorum a S. Amando constructum asserens, turpiter falsus esse statuatur, quod et sine documentis bonæ notæ, quæ Balderici fidem elevent, admitti nullatenus debet.

4 Nec est, quod citata num. 2 laudati chronographi verba sic quisquam exponenda contemdat, ac si Balderici dumtaxat ætate Lutosanum monasterium canonicorum fuisset, cum tamen primitus existisset monachorum. Nam, cum auctor ille recitatis supra verbis proxime hæc de vicino Rotnacensi canonicorum collegio subdat: In vico Rotnasce EST MONASTERIUM CANONICORUM a sancto quoque Amando in honore eorumdem Apostolorum constructum; hoc suo loquendi modo satis aperte

in quo ab eodem, non monachi Elnonenses,

sed canonici, quantumlibet contrarium ex Balderici verbis,

AUCTOR
J. G.

aperte indicat, parisi conditionis primitus fuisse Lutosanum ac Rotnacense canonicorum monasterium, ac proin non magis Lutosanum a S. Amando episcopo constructum Benedictini Galliae Christianae auctae scriptores ne quidem inter coenobia, Benedictinis affinitate conjuncta, annumerarunt. At, inquit, cum S. Amandus monasticam vitam aliquando egerit, non dubitandum videtur, quin monachos, ipse monachus; Benedictinos, Benedictinus, in locis a se erectis quovis tempore instituerit. Imo et Lutosanum monasterium a S. Ludgero, tamquam abbate, administratum fuisse, extra controversiam est: ac proin, cum et ipse aliquando monachus fuerit, haud dubie et illi ipsi, quibus abbas praefuit, Lutosani monachi fuerunt.

ex S. Amandi

5 Quod attinet ad S. Amandum, respondeo, eum, tametsi monasticam vitam prius egisset, tunc certe temporis, cum erigendis in Belgio sacris aedibus incumberebat, episcopum fuisse regionarium, atque adeo tam clericis seu canonicis,

B quam Benedictinis monachis eas incolendas tradere potuisse. Adhaec cum viro Apostolico, uti Cointius in Annal. eccles. Francorum tom. 2 pag. 835 num. 5 advertit, verbum Dei per Belgium disseminanti, clericorum seu canonicorum opera longe utilior, quam monachorum, cellas suas incolentium, futura esset, vel hinc verisimilius sit, canonicos seu clericos ab eo in partem apostolici laboris adscitos, atque ut recens conversos in fide confirmarent, aliosque ethnicos ex finitima regione conquisitos ad fidem adducerent, tunc constitutos Lutosae fuisse, quam quidem monachos, vitae solitariae ex Instituto amatissimos. Denique cum nullus auctor, Balderico antiquior aut eieruditione et diligentia comparandus, Benedictinos monachos Lutosae a S. Amando collocatos fuisse, affirmet; judicet lector, an non Balderico adductisque a me rationibus potiori jure, quam quorundam conjecturis inhærendum sit.

et S. Ludgeri gestis

6 Ceterum lubens quoque adversarius dabo, fuisse S. Ludgerum seu Luidgerum monasticæ vitae disciplinis egregie imbutum, eoque etiam tempore quo in Casinensi coenobio moras traxit, monachico vestitu fuisse usum; ad hinc minime consequitur, ut cum ei Carolus Magnus, imperator et Francorum rex, monasterium S. Petri Lutosanum cum omnibus adjacentibus ecclesiis et villulis gubernandum dedit, ejusdem monasterii incolæ monachi Benedictini fuerint, nedum et ipse, utpote qui solemnem monasticæ vitae professionem nunquam edidit, uti ipse fatetur Mabillonius Saeculo 4 Benedictino, parte 1 pag. 16. Sane, qui in Occidentali Saxonum parte constitutus pastor honestum ibi sub Regula canonica monasterium construxisse, legitur, (adi Vitam ejus tom. 8 Martii pag. 647 num. 20) quique, vel ipsa Lutosani Officii Lectio secula perhibet, cucullam non portabat, sed sub habitu canonico monachorum perfecte vitam implebat, nulla satis verisimili ratione aut monachis accensendus est, aut non aliis, quam Benedictinis monachis, Lutosae praefuisse, adstrui potest. Mitto referre plura, quæ ex Commentario Joannis Bollandi in Vitam S. Ludgeri cit. tom. 3 Martii pag. 641 huc congeri possent, quandoquidem jam nunc a me sufficiunt, ut ne exstructum a S. Amando Lutosae canonicorum monasterium a primordiis suis Benedictino Ordini adjudicetur.

7 Quod autem Lutosani jam pridem, ac vel Officio ritus duplicis majoris praesertim ab anno

1765, quo RR. A. Domini Canonici Hubert et Filament os unum digiti S. Amandi a D. Stephano Bargibant, Elnonensi monacho, impetrarunt eum quotannis, ut suum fundatorem, celebrent, sacrasque ejus Reliquias Capituli decanus in solemnioribus supplicationibus deferat; hæc enim vero eorum quidem insigne in S. Amandum pietatem gratissimumque animum satis comprobant, at hinc minime fit consecrarium, ut, quemadmodum ex Elnonensi S. Amandi monasterio sacras ejus exuvias Lutosæ accepit, ita et primos sui monasterii inquilinos colonosque eadem accepisse, dici possit, aut debeat. At vero, cum S. Badili Vezeliacensis in Burgundia ecclesie monachus, isque Benedictinus fuerit, ac Lutosæ abbas minere functus sit, non abs re, eum monachis quoque, quibus canonici locum fecerint, Lutosæ praefuisse, crediderim. Quandonam autem hæc Lutosani canonicorum monasterii in monachorum abbatiam conversio statui possit, ex iis, quæ de Sancti nostri ætate jam nunc et § III disseram, colliget eruditus lector.

8 Quotquot de Sancto Abbate nostro, seu reteres seu recentiores, meminerunt, eum unanimi consensu Gerardo, seu Girardo, a Rossilione dicto, Provinciae Burgundiaeque comiti et Vezeliacensis in Burgundia coenobii fundatori, coeuvum notissimumque affirmarunt. Ast vero inter ipsos illos auctores de seculo, quo Gerardus iste comes vixerit, nequaquam convenit. Sigebertus, vel quisquis periochæ, in codice Ms. Vallicellensi exstantis, auctor est, ad annum Christi 745 Gerardum illum memorat, ab eoque ad coenobium Viciellacum, a se constructum, S. Marie Magdalene corpus ex Aquensi urbe delatum scribit. Joannes Iperius in Chronico S. Bertini tom. 3 Anektorum Martenei et Durandi col. 483 et col. 485 Gerardum illum Carolo Tuditati et Zacharie Romano Pontifici synchronum itidem facit, eosque secuti sunt Guisius, eæcutis seculi xiv scriptor, Meyerus in Annalibus Rerum Flandricarum ad annum Christi 765, Molanus seu Natalium Sanctorum Belgii editor Lowius ad diem viii Octobris, Buzelinus in Annalibus Gallo-flandriae lib. 3 pag. 94, Ghinius in Sanctorum Canonicorum Natalibus fol. 73, Sausseyus in Martyrologio Gallicano pag. 703, Dionysius Sammarthanus tom. 3 Galliae Christianae auctae col. 75, ac denique, ut alios multos praetermittam, Joannes Baptista de Castillon, Brugensis deinde episcopus, in sua sacra Belgii Chronologia pag. 111.

9 Contra vero Miræus in Chronico Belgico ad annum 871, Menardus in suo Martyrologio Benedictino Lib. 2 Observationum pag. 716 et tom. quarti Galliae Christianae auctae scriptores cal. 466, Gerardum comitem unaque cum eo Badilonem nostrum nono dumtaxat seculo, eoque non parum protracto, floruisse statuunt. Si auctorum, qui a seæ ferme seculis de Gerardo illo comite nostroque sancto Abbate meminerunt, sola auctoritate magnoque recentiorum, qui hos secuti sunt, numero definienda foret hæc controversia, haud dubie ad seculum viii ambo illi insignes viri retrahendi essent; verum, cum Sigebertus, dato etiam, ipsius Chronicon citato loco interpolatum non fuisse, nec non Iperius, Guisius alique priore loco citati auctores multo nimis a Gerardi et Badilonis ætate remoti vicerint, ut sola sua assertione rei, quam referunt, fidem faciant; omnino standum est opposita Miræi, Menardi et scriptorum tom. quarti Galliae Christianae sententia, non quidem, quod horum major sit

A *sit quam ceterorum auctoritas, at quod indubiis authenticisque documentis firmari sententia hæc possit, uti jam nunc ostensum eo.*

uti ex charta ejusdem Gerardi comitis

10 *Exstat tom. 3 Spicilegii Lucae Acherii primæ editionis pag. 446 Historia Vezeliacensis monasterii, auctore Hugone Pictavino, quatuor comprehensa libris, quorum primus monumenta authentica, quæ ad monasterii historiam faciunt, a pag. 446 usque ad pag. 505 longo ordine exhibet. Ac primo quidem loco refertur Instrumentum seu Testamentum Geraldi * comitis, fundatoris monasteriorum... Pultariensis et Vezeliacensis, in quo Gerardus divinæ pietatis munere (verba chartæ illius sunt) apud gloriosam regalem mansuetudinem comitis honore sublimatus, ex communi voto et desiderio dilectissima conjugis... Berthæ inter alia hæc ad rem nostram profert: Quoniam largitionibus piis dominorum et seniorum nostrorum, qui nos liberalissime honoribus et dignitatibus ampliaverunt, id est, imperator et senior noster elementissimus Ludovicus et gloriosa domina et regina Judith, filiusque ipsorum æque senior atque Dominus noster rex Karolus plurima nobis possidenda acceperunt, justissime nobis visum est, ut eorum amore incitati locum etiam ipsum fundaremus, ubi pro gratis muneribus ipsorum esset in orationibus solemnibus et jugis supplicatio et apud Deum continua pro salute ipsorum exoratio. Non immemores enim sumus eorum circa nos benevolentie, ipsorum, id est, domini senioris Ludovici Augusti, Judith dominæ et reginæ, Karoli, filii ipsorum, similiter domini et senioris, qui nunc superest regnans.*

B

Vezeliacensis cenobii fundatoris, liquet,

11 *Vixit adeo Gerardus comes, Pultariensis ac Vezeliacensis cenobiorum fundator, sub Ludovico Pio, anno demum 840 defuncto, ac sub regina Judith, anno 843 e vivis erepta, eoque demum tempore testamentum illud edidit, quo Ludovici Pii et Judithæ filius, nomine Karolus, qui alius a Carolo Calvo esse neguit, in vicis etiam erat regnumque moderabatur, ac proin certissime inter annum 843 et annum 877, eidem Carolo Calvo emortualem. Longe igitur a vero aberrarunt, qui Gerardum comitem, Vezeliacensis cenobii fundatorem, ante annum Christi 740 floruisse, scripserunt. Ex quibus etiam coniecturum plane sit, ut et S. Badilo, quem illi coævum notissimumque omnes faciunt, non anno circiter 740, sed integro saltem seculo post itidem floruisse, dicendus sit. Modo in ipsum seculi non annum, quo Sanctus noster, loci Viceliacensis frater passim dictus, vitam illic egerit monasticam, quam fieri potest proximè, inquisivisse juxerit.*

imo non ante annum 878 ad Vezeliacenses

12 *Id factum non esse ante ejusdem seculi annum 43, ex recitatis modo Testamenti Gerardi comitis verbis omnino evidens est, nec opus est, citatos jam a me num. 8 et tomo 4 Gallix Christianæ auctæ col. 466 scriptores, qui contrarium adstruunt, pluribus consulare. Imo vero Badilonem nostrum non ante annum Christi 878 Vezeliacensem monachum fuisse, vix non indubitatum censeo. Rem sic demonstro. Sive anno Christi 862, seu, ut Gerardi, Vezeliacensis cenobii fundatoris, ad Nicolavum Papam verbis utar, anno xxii regnante Carolo, nimirum Calvo, monasterium illud jam tum fundatum fuerit; sive id cum Gallix Christianæ auctæ scriptoribus tom. 4, col. 466 (minus tamen, uti mihi apparet, probabiliter) circa annum 867 factum statuas, id equidem ex ipsa Gerardi Charta tom.*

3 *Spicilegii laudati pag. 448 perspicuum est, cenobium illud primitus fuisse habitaculum ancillarum Dei, seu monialium sub institutione B. Benedicti viventium; eas autem sanctimoniales monachas Vezeliacense cenobium adhuc tenuisse anno Christi 868, diploma Caroli Calvi, quod tomo 8 Scriptorum Rerum Gallicarum pag. 608 habes, extra controversiam etiam ponit.*

13 *Quin et non ante annum 878 Vezeliacensibus monialibus suffectos fuisse monachos, Joannes Papa VIII, anno 872 die xiv Decembris, ordinatus, in suo, quod anno vi Pontificatus sui edidit, diplomate manifestum reddidit, dum cit. tom. Spicilegii pag. 462 ita loquitur: Privilegium quoque a prædecessore nostro piæ memoriæ Papa Nicolao (nempe hujus nominis I) eidem monasterio collatum, nostra auctoritate confirmamus, excepto duntaxat, quod ipse sub nomine ANCILLARUM DEI, quæ ibidem pro crebris infestationibus seculi NUNC ORDINABILITER MANERE NEQUEUNT, illud delegavit: nos vero aptioris utilitatis gratia sub HABITU MONACHORUM esse congruenter decernimus. Quæ cum ita sint, manifestum omnino faciunt, Badilonis in Vezeliacensi cenobio monachatum non ante annum Christi 878, quo moniales illic versari desierunt, plausibili aliqua ratione statui posse.*

14 *Atque hæc paulo uberius disputata sunt, non tantum ut seculum, quo S. Badilo vixerit, indubitatum evadat, sed et ut Sanctus noster ab homonymis ejusdem fere temporis monachis perspicue distinguatur. Ex dictis quippe consequitur, ut Venerabilis vir Dei Badilo, qui sub Eudone, abbate Vezeliacensi, ac certe non citius, quam anno 878, loci Viceliacensis frater fuisse, passim legitur, diversus proin sit a Badilone illo, qui (vide Guichenonem pag. 226 et 227 in Probationibus Historiæ Sebusianæ) Saziacensi S. Benedicti monasterio abbatis loco anno 859 præfuit; utque etiam alius sit a Badilone, Eduensis cenobii S. Martini abbate, in diplomate Caroli Calvi tom. 8 Scriptorum Rer. Gallic. pag. 668 et tom. 4 Gallix Christianæ auctæ col. 450 ad annum 877 memorato, quique fortassis idem ille comes fuerit, a quo Eduense cenobium instauratum fuit. Ast an ab eo Badilone, qui in Vita S. Hugonis, monachi Eduensis, ab anonymo seculo xi conscripta, Badilonis comitis prædictique cenobii instauratoris, nepos fuisse scribitur, Sanctus noster diversus quoque dicendus est, Respondeo, nullum mihi suppetere argumentum sat efficax, ut hunc a S. Badilone diversum facere ausim; ut contra non minus mihi, quam Mabillonio seculo v Benedictino parte 1, pag. 96, propendeat animus, ut Badilonem, homonymi comitis nepotem, cum Sancto nostro eundem credam.*

15 *Congruunt enim et nomen et ætas et susceptus in Burgundia monachus, in divino cultu religiosa perfectio; nec quidquam, quo minus Sanctus noster idem cum illo esse, affirmetur, in speciem obest, quam quod Badilo, præfati comitis nepos, in Eduensi S. Martini cenobio monachum induisse scribatur; noster vero dumtaxat loci Viceliacensis frater vocetur. Nihilominus tamen, cum Badilonis nostri in Eduensi cenobio monachus nullo negetur veteri documento; atque aliunde sat verisimile sit, monachos illos, qui in Vezeliacensi monasterio monialibus substituti fuerunt, non aliunde, quam ex sat vicino Eduensi illo cenobio, uti S. Hugonis biographus insinuat, evocatos fuisse, quid ni*

AUCTORE J. G.

transiisse dici potest;

E

diversus proin fuit a Saziacensi et Eduensi abbatibus et a Badilone comite,

F

non tamen, uti videtur, alius fuit a comitis hujus nepote,

LECTORE
J. G.

ni unus ex hisce fuerit Badilo, comitis præfati nepos, qui, mutata sede, loci Viceliacensis, ubi maxime inclaruit, frater dein nominari cœperit, idemque adeo cum S. Badilone sit. Quæ, si re ipsa, uti videntur, subsistant, fuerit Sanctus noster origine Aquitanus, natusque ex familia, non minus virtutibus, quam nobilitate rerumque opulentia illustri, si quidem de ea ex Badilonis comitis opibus moribusque iudicium ferri debeat. Quis porro quantusque vir fuerit ille comes, qualisque etiam cognominis ejus nepos, ex laudata S. Hugonis Vita intellexisse iuverit.

qui patri
sui, viri
piissimi,

16 De priore ita tomo 2 Aprilis pag. 764 num. 7 S. Hugonis biographus loquitur: Erat quippe in ipsius regis (Caroli Calvi) palatio tunc temporis (nempe sub annum 870) comes quidam, Badillo nomine (in Ms. codicibus, qui Mabillonio præhucunt, Badilo passim vocatur) qui veniens ab Aquitanie partibus, vir licet in seculari vita positus, correctis tamen et religiosi moribus atque conversatione sacris viris per omnia similis. Extiterat enim opum gratia opu-

B lentissimus et auri et argenti ditissimus. Qui cernens regem (Carolus Calvi) nec non et reginam (Chrodechilde vocat alias passim Richildem dictam) in restaurandis ecclesiis Dei toto conamine inservire, zelo divino et ipse ductus, cœpit illorum in hac parte devotus ac pius æmulator existere; qui inter ceteras paganorum strages conspiciens apud civitatem Eduam egregii confessoris Christi Martini monasterium, olim a regina Brunichilde nimium excellenter atque honorifice constructum, tum tamen miserime dirutum, atque omni suppellectili nudatum atque deonestatum, accedensque incunctanter isdem comes ad regem humiliter petiit, ut sibi ad restaurandum daretur præfatum monasterium. Dicebat enim spondens se in voto habere, ut post monasterii restaurationem se ipsum ibidem, relictis seculi curis honorumque sollicitudinibus, Domino manciparet: quod denique postmodum, annuente Christo, rei probavit eventus.

et spiritus
mundi ille-
cebris incli-
ti, Sanctos
mores

17 Et post multa ita biographus laudatus de eo pag. 765 num. 9 loqui perguit: Postquam denique vir illustris Badillo, (alias Badilo) prout posse habuit, loci restaurationem exercuit, cœpit anxie perquirere viros sancta religione imbutos, qui in eadem domo Dei dignanter eidem servitutis officia persolverent. Dein, cum monachos decem et octo religiosissimos, ad instauratum ab eo monasterium aliunde evocatos, ejusque consensu electum abbatem vita et moribus probatissimum fuisse, narrasset, subdit num. x: His vero ita gestis, cœpit postmodum vir Dei Badillo (Badilo comes) de propria salute acrius sollicitus esse, qualiter hujus seculi ambitiones, et illecebras postponeret, semetque in monasterio tonsurare et monachum fore, disposuit... Quod utique dum explesset, quantæ humilitatis, quantæque patientiæ atque obedientiæ extiterit, a nemine potest enarrari. Hactenus S. Hugonis biographus, cujus verba idcirco adduci, ut ex illis, qualis ejus nepos Badilo, quem ei in divino cultu non impari testatur, tum ante monachatum, tum in ipsa Religiosa vita exstiterit, manifestius pateat.

in seculo et
in vita mo-
nastica se-
catus est.

18 At enim et ea quoque, quæ de Badilonis illius nepote, nostroque, uti videtur, Sancto narrat, ex ipso audire pergamus. Habebat igitur idem Badillo (Badilo comes, de quo jam egerat,)

nepotem sibi æquivocum, benignæ satis indolis; quem etiam a secularibus negotiis abstrahens, in eodem monasterio secum divinæ servituti mancipavit. Et non minus quidem et ipse, secundum videlicet Badillo, in cultu divino devotus atque perfectus extitit. Fecerit haud dubie perspecta junioris Badilonis virtus et in divino obsequio jam laudata perfectio, ut, cum tam vicina, quam remota monasteria, teste eodem biographo num. 12, ad regimen sacrum... de personis monachorum ejusdem monasterii Eduensis sibi concedi postularent, Badilo ille anno Christi 878 vel subsequenti una forte cum Eudone ad Vezeliacense cœnobium transmissus fuerit, ut sub hoc abbate cum adscitis aliquot ejusdem Eduensis monasterii piissimis alumnis utilis, quam fieri a monialibus ob seculi infestationes poterat, divino cultui vitæque monasticæ officis Vezeliaci vacaret.

19 Atque hæc de S. Badilonis ætate ejusque ab homonymis distinctione disputatio sufficiat, ut ad celeberrimum, quod ei a non paucis tum antiquis tum recentioribus adscribitur, factum ulcumque discutiendum modo progrediamur. Divi autem utcumque discutiendum, propterea quod rursus evolendam definiendamque mihi non sumo intricatam illam agitatissimamque Provinciales inter et Vezeliacenses questionem, in eo sitam, num verum integrumque S. Mariæ Magdalene corpus ex Provincia Gallie ad Vezeliacense in Burgundia cœnobium deportatum fuerit; num contra Provinciales ejus possessione hodieque merito gloriantur; hanc enim Sollierius noster de ipso S. Mariæ Magdalene corpore questionem operose juxta ac eruditè tom. 5 Julii a pag. 207 usque ad pag. 216 tractavit, nec quaquam urget, ut hic actum agam, præsertim cum ad institutum meum sufficiat ea discutere, quæ ad S. Badilonem tum proprie, tum et proxime spectant, nimirum num sal tuto credi possit, sacrum aliquod pignus, quod Vezeliacensibus multisque summis Pontificibus sanctæ Mariæ Magdalene corpus appellare placuit, ex Provincia Gallie ad predictum Vezeliacense cœnobium aliquando fuisse ab eo deportatum.

§ II. An S. Badilo creditum? S. Mariæ Magdalene corpus e Provincia Gallie ad Vezeliacensem in Burgundia ecclesiam deportasse, et quo circiter anno id fecisse, dici queat.

Laudatus supra Cameracensis Chronici auctor Baldericus, cum documenta, quæ sparse per Belgium de celebri illa translatione sumæ indubiam fidem conciliare nata essent, nulla sibi præluentia haberet, satis duxit, nihil de ea asseveranter edicere; tantumque illa, quæ suo tempore in Belgio passim ferebantur, pro solita sua prudentia in litteras misit, ita nempe de S. Badilone lib. 2, cap. 43 loquens: Qui corpus sanctæ Mariæ Magdalene de Hierusalem in Burgundiam in loco Vercelliaco attulisse fertur. Num autem

A tem per priora verba Mariam, Lazari sororem, a vicino Hierosolymis castello, nomine Bethania, Hierosolymitanam vocare, atque ab Evangelica muliere peccatrice obiter quoque distinguere ex Græcorum Patrum opinione voluerit; an potius S. Mariæ Magdalenzæ, nulla quæstionis illius, Græcos inter et Latinos agitata, habita ratione, sacrum corpus ex ipsa Hierosolymitana urbe ad Vezeliacensem ecclesiam a S. Badilone transtatum fuisse, ex sparsis apud Belgas rumore indicare intenderit, haud ita tutum est pro certo adstruere; imo vero haud satis liquido perspicitur, num anceps timidusque ejus loquendi modus in ipsam facti hujus substantiam, an ex adverso in unum ex adjunctis dumtaxat cadat, puta in locum ipsum, ex quo sacrum illud pignus ad Vezeliacensem cenobium delatum fuisset, aliis forsitan, iisque in Belgio compluribus, illud ex Hierosolymitana urbe; aliis contra, ac vel maxime Burgundionibus, illud e Provincia Galliz eo deportatum fuisse contendentibus; ut propterea hanc litem defectu documentorum indecisam ipse reliquerit.

B 21 At qualiscunque ea de re fuerit Balderici existimatio, mihi quidem non videtur tanti momenti esse posse tam vaga ambiguaque ejus locutio, ut credi ob eam sal certo possit Badilo Hierosolymam aliquando profectus esse, indeque decessisse sacrum illud pignus, quo veluti S. Mariæ Magdalenzæ corpore Vezeliacenses a multis seculis gloriati sunt. Ast vero an non saltem Badilo e Vezeliacensi cenobio aliquando in Provinciam Galliz commigrasse, indeque sacrum illud corpus ad suos transtulisse sat probabiliter dici possit? Respondeo, monumenta, quæ affirmant sententiæ favent, non adeo esse contemnenda, quam quidem sibi persuadere volunt nonnulli, qui negant Provincialium sententiæ usque adeo adiecti sunt, ut Badilonis in Provinciam iteri ejusque ad Vezeliacenses cum sacris Reliquiis reditum ad fabulas amandare velle videantur. Ac primo quidem Ms. antiquissimum ecclesiæ Narbonensis, quod ipsemet Provincialibus favens Natalis Alexander Dissert. 17 in Hist. Eccles. sæculi 1, pag. 184, col. 2 commemorat, diserte, ipso fatente, Baidilonem monachum sanctæ Mariæ Magdalenzæ corpus Aquis-sextiis ex tumulo marmoreo clam decessisse noctuque

C raptum Vezeliacum transtulisse, refert. Verum, ut quod res est, dicam, cum nec laudatus auctor, nec quisquam alius, quem quidem legi, antiquissimi illius Ms. ætatem aut exeuntem seculo 1x aut saltem currenti x affigendam esse, probet, hoc uno testimonio, etsi Sigeberto Gemblacensi fors multo, uti insinuat laudatus Alexander, vetustiore, haud satis firmari arbitror oppositam Provincialibus sententiam, quamdiu nempe aut sub finem seculi 1x aut saltem sub medium sec. x auctorem ejus floruisse, mihi non constabit.

D 22 Ad alia igitur progredior. Ecce est in insigni codice nostro, olim Valcellensi, signato P. Ms. 157, Translati ad Vezeliacense monasterium corpus S. Magdalenzæ Historia, certo ante annum 1057 scripta,

dio et igne consumpta sunt. Virorum namque et mulierum quam plures vivos decorabant, ut mos est Sarracenorum hominibus nostræ gentis facere, ut IMPISMET POSTMODUM VIDIMUS. Cujus cladis eade peracta, quam ut* credimus propter peccata illius terræ inhabitantium contigisse, in sua recesserunt. Cum igitur Hugo, rex Italiæ et comes Provinciz, Fraxinetum Castrum, in Provincia, teste Chronico Novaliciensi tom. 8 Script. Rer. Gall. pag. 130 in Annotatione citato, situm, firmissimumque Sarracenorum, unde et crebro per Provinciam prædabundi excurrerant, receptaculum, anno Christi 942 expugnarit, uti ibid. Sigebertus in Chronico aliique ad eundem annum notant; ac rursus cum Conradus, Transjuranzæ Burgundiz et Provinciz rex, uti tom. 9 Script. Rer. Gall. pag. 6 Ekkehardus Junior narrat, tam Sarracenos quam Hungaros anno 950 turmatim circumdederit, fugæque locum non habentes, quos non occidit, captos Arelato vendiderit, itaque Provinciam Sarracenorum tyrannide liberavit; consequens sit, ut Translationis laudatæ auctor, qui suæ gentis homines a Sarracenis decorari vidisse se, testatur, saltem ante annum Christi 950, ac vel ante seculi 1x exitum, si cum Honorato Boucheo tom. 1 Historiz Provinciz pag. 736 eum illatæ tunc a Sarracenis Provinciz cladis oculatum testem fuisse, admittamus, floruisse, dicendus sit.

E 23 Huic porro scriptori, translatum a Badilone e Provincia sacrum aliquod pignus, uti latius infra narrabitur, asserenti, suffragatur partim, qui etiam in citato codice Ms. exstat, Sermo quidam, in festivitate S. Mariæ Magdalenzæ Vezeliaci, uti videtur, pronuntiatus eo tempore, quo Provincia Galliz Sarracenorum violentia permaxime deserta erat. Verba ejus audi: Monstratur adhuc... ecclesia... multis virtutibus... decorata, quamvis Sarracenorum violentia illud, in quo est regnum (Arelatense seu Provinciz,) maneat permaxime desertum. Ex quibus pronum est eruere, Sermonis hujus auctorem medio circiter seculo x floruisse, nec adeo, multum seu tempore, seu loco, remotum ab ea fuisse translatione, quam hortatu Eudonis, Vezeliacensis ab anno Christi 878 usque ad 897 abbatis, inchoatam peractamque feliciter ejusdem precibus fuisse, asserit. At, inquit, tametsi ex recitatis modo verbis probabile fiat, tam Historiz Translationis, quam laudati Sermonis auctorem satis vicinum existisse temporibus, quibus sacrum illud corpus a Badilone ad Vezeliacenses deportatum fuerit, amborum tamen funditus corruere debet auctoritas ex eo, quod facta, quæ narrant, non satis commode suis diviserint temporibus, ille nimirum, dum in Historiz suæ exordio seu Prologo Ludovici regum piissimi, filique ejus Caroli Regnum anno Passionis vel Resurrectionis Dominicæ plus minusve septingentesimo quadagesimo nono illigavit, hic vero, dum Karlomanum, Francorum regem, prædicto Eudoni abbati et Algario, seu Adalgario, Augustodunensi ab anno 875 usque ad annum 893 antistiti, coævus fecit.

F 24 Quod ad priorem objecti hujus argumenti partem pertinet, non dissimulabo, me viam nullam invenisse, qua notas illas chronicas, imo et pleræque, quæ de Vezeliacensis cenobii primordiis in citato etiam codice Valcellensi memorata exstant, cum veritate historica conciliari queant; ut proin vehementer suspicer, binos saltem illos articulos, qui restaurati a Gerardo comite Vezeliacensis

AUCTORE
J. G.

* ut abundat

et Sermo
quidam, me-
dio circiter
sec. x pro-
nuntiatus,
pertinet;

F

utpote quo-
rum fides,
resectis pa-
tergis,

AUCTOR
J. G.

sis cœnobii, translatisque eo corporis sacri Historiæ vice prologi præmissi reperiuntur, ab imperito quodam postea assutos fuisse, aut, si bini illi articuli eo, quo in plerisque manu evaratis codicibus descripti exstant, modo a laudatæ Translationis Historiæ auctore profecti sint, fateri non vereor, eum in rebus gestis, se paululo antiquioribus, fuisse minime versatum. Ut autem articulos illos ab imperito quodam homine postea assutos, quam ab ipso Translationis Historiæ auctore profectos, credere malim, movet me ipsemet Operis titulus scriptorisque scopus, quorum ille hisce verbis exprimitur: Quomodo corpus hujus sanctæ (Mariæ Magdalene) translatum sit ad Velicacum cœnobium; hic vero ita designatur: Nunc ergo, largiente Domino, aggrediemur exponere, qualiter gleba corporis ejusdem sacratissimæ Mariæ Magdalene in locum, in quo hodieque veneratur, translata sit; quibus sane verbis aperte satis excluduntur parerga illa, quæ circa Vezeliacensis cœnobii primordia duorumque Franciæ regum epocham lectori obtruduntur et quidem tam imperite atque importune, ut cum auctoris scopo non modo nullam connexionem habeant, at

B contra narrationem ejus plane inturbent, sic, ut, iis resectis, imo, et tertio ac partim quarto articulo itidem rescissis, multo liberius procliviusque fluat ejus narratio, quam si vel unum ex parergis illis ei innectatur, uti ex infra recitandis patescet.

adversus
unam

25 Quod autem ad alteram objecti nobis argumenti partem attinet, haud video, qua ratione laudati Sermonis auctor carpi, nedum quasi studiose errasse aut turpiter confudisse tempora dici ex hoc capite queat, quod Carolomanni Francorum regis ætate Vezeliacenses monachos cum Adelelmo quodam milite, seu viro nobili, in Provinciam profectos fuisse scribat, quo scilicet inde sacrum illud corpus ad præfatum Eudonem, Vezeliacensem, ut vocat, archimandritam, transferendum curarent. Etenim, etsi medio seculo VIII Carolomannus, Pippini filius, floruerit, isque una cum Carolo fratre suo in regem unctus, vivente adhuc patre suo, Burgundiam, Provinciam aliasque regiones obtinuerit, uti tom. 5 Scriptor. Rer. Gallic. variis locis ostenditur, de hoc tamen Carolomanno sese non loqui, satis indicat Sermonis laudati auctor, sed contra de illo solo Francorum rege Carolomanno, qui Ludovici Balbi filius fuit et ex patris sui regno anno 880 Burgundiam et Aquitaniam cum marchiiis suis habuit, uti tom. 8 Scriptor. Rer. Gall. Annales Bertiniani pag. 35 ad eundem annum testantur, quique adeo Eudoni, Vezeliacensi abbati, et Adalgaro Augustodunensi episcopo, uti tom. 4 Galliæ Christ. auct. col. 367 et seq. liquet, nec non et Badiloni nostro indubie cœvus fuit.

alteramque
objectionem

26 Urget magis adversus utriusque scriptoris fidem, quod prior Badilonem quinquennali lustro, seu quinque annorum spatio Aquis-sectiis, priusquam e Provincia sacrum illud corpus abstulerit, degisse; posterior vero, nulla Badilonis facta mentione, illud a Vezeliacensibus monachis et prædicto Adelelmo celeriter collectum, narret. Verum respondeo, ob diversam adjuncti unius relationem ipsam facti substantiam ad fabulas ablegandam non esse, præsertim si utriusque scriptoris narratio utcumque saltem conciliari queat. Et vero cum Sermonis auctor, etiam Vezeliacensium monachorum opera sacrum illud pignus e Provincia in Burgundiam delatum fuisse,

narret, censendus minime est auctori Translationis contradixisse, qui Badiloni, Vezeliacensi monacho, rei executionem nominalim adscripsit. Ad hæc cum Sermonis auctor discrete profiteatur, se brevi stilo seu paucis verbis translationem illam complexurum esse, nil mirum esse debet, si Badilonis expresse non meminerit, sed eorum dumtaxat, qui adipiscendi illius sacri pignoris consilium suggererunt et Vezeliacensium monachorum opera ad id usi sunt. Ceterum, tametsi Sermonis auctor sacrum illud corpus celeriter collectum fuisse, referat, insinuat tamen etiam, missos ab Eudone abbate monachos ceterosque homines aliquandiu, audita Provinciæ decastatione, loco quodam substituisse, tandemque memores sententiæ cujusdam B. Gregorii confisosque Adalgarum et Eudonis precibus demandatum sibi opus executionis fuisse.

27 At sive interim S. Badilo quinquennali spatio Aquis-sectiis in Provincia commoratus fuisse; sive ex adverso (quod et mihi præplacet) multo celerius opus, sibi suisque sociis demandatum, ad effectum perducisse statuitur, (qua de re et infra agetur) eundem ex Historiæ Translationis verbis, quibus auctor locum illum, unde sacrum illud corpus dimovere tantisper nequit Badilo, veluti in hujus facti memoriam Coryletum Badilonis deinceps vocatum fuisse, confidentissime testatur, abunde discimus, eum in transferendo e Provinciæ sacro aliquo corpore partes egisse primarias, aut certe translatis illius pignoris administrum præcipuum non multis post rem gestam annis saltem in Burgundiam passim fuisse creditum. Ipsam modo, at alienis incongruisque parergis, ea dictis num. 24 purgata, Translationis illius Historiam, quatenus res, a S. Badilone tunc gestas, complectitur, aut cum eis connexionem habet, recitare instituo. Ita proxime post S. Magdalene Vitam incipit: Nunc ergo, largiente Domino, aggrediemur exponere, qualiter gleba corporis ejusdem sacratissimæ Mariæ Magdalene ad locum, in quo hodieque veneratur, translata sit....

28 Contigit, ut egressa gens Sarracenorum ab Hispaniæ partibus depopulans exterminaret pene totam Aquitaniam ac maximam Provinciam illius partem, Ecclesias quoque ac monasteria igne cremata cum ceteris rebus humanis ad solum usque deduxit. Interea Aquisensem metropolitane civitatem aggressi, ipsamque capiens, universam suppellectilem illius diripuit, captivorum multitudinem inde educens; reliqua autem gladio et igne consumpta sunt. Virorum namque et mulierum quam plures vivos decoriabant, ut mos est Sarracenorum hominibus nostræ gentis facere, ut ipsimet postmodum vidimus. Cujus cladis cæde peracta, quam ut credimus propter peccata illius terræ inhabitantium contigisse, in sua recesserunt. Hactenus laudatæ Translationis scriptor, exitiosam illam, uti videtur, Sarracenorum in Gallias irruptionem, anno 731 factam, indicans, qua Provinciæ, Burgundia, Aquitania, aliæque late provinciæ igne et ferro devastatæ fuerunt, quamque Bonifacius, Moguntiacensis episcopus, in Epistola 19 ad Ethelbaldum, Merciorum regem, Provinciæ et Burgundionum populis contigisse scribit propter adulteria et stupra sacrarum virginum ac Sodomitica flagitia: quibus iratus Juxta omnipotens, talium criminum ultrices penas per ignorantiam legis Dei et per Sarracenos venire et sevire permisit, uti latius Mabillonius

A *Mabillonius Sæc. 3 Bened. parte 1, pag. 525 et pag. 526 narrat, quem, si lubet, consule. Nunc auctorem nostrum occasionem modumque translati e Provincia corporis, S. Magdalene credidi, narrantem audiamus.*

29 Compertum namque jam olim a multis longe lateque habebatur, quod beata Maria Magdalene, ut superius (nimirum in Vita ejusdem Sanctæ) digestum est, in præfata civitate Aquensi a S. pontifice Maximino sepultura tradita fuisset, ibidemque illius sacratissima ossa servarentur. (adi ea de re disputata a Sollerio tom. 5 Julii pag. 205 et seqq.) Hac denique fama instigati tam comes Burgundiæ Gerardus, quam abbas Heudo prædicti monasterii Viclaacensis delegaverunt satis accurate ad civitatem Aquensem fratrem quemdam, cui nomen erat Badilo, ea scilicet devotione, ut, si, annuente Domino, in partibus illis aliquod pignus e corpore sacratissimæ Mariæ Magdalene reperire valeret, revertens ad illos deferret. Qui, arrepto itinere, fultus honesto famulorum comitatu tam prospere quam devote ad Aquensem pervenit civitatem. Quam cum intrasset, nichil ei omnino in ea visum est apparuisse, nisi extrema pestis et mortis imago. Cernensque prædictus Badilo tam immane Christianæ plebis iustitiam, caput edere gravissimos lacrimarum ex pietate singultus; tandemque memor devotionis sui itineris, curiose deambulabat quorsum investigans, si quempiam reperiret, qui eum ad indaginem desideratæ rei perduceret.

30 Dum hoc siquidem ageret, occurrit ei videre circa majorem, quæ fuerat in civitate, ecclesiam in andronarum tuguriis victos * senes ætatis decrepita, præstolantes alicujus transeuntis adventum victus impendenti gratia. Hos cum vidisset, divertit ad illos, caute inquirens, ubi nam locorum fuisset ecclesia, in qua corpus beate Mariæ Magdalene, a S. Maximino olim sepultum, fidelibus veneraretur; spondensque se ad hoc illuc devenisse non solum ad præsens transeunter adoratum, verum etiam, in quantum valeret, sacris reedificandis inservitutum. Illi vero hæc audientes admodum læti, promiserunt, se illi cunctis fideliter parere, et, quæ vellet; ostendere. Dehinc oratione in brevi completa, invitat illos ad prandium, quoniam diutina videbat illos deficere inedia. Ac sic utrique refocillati, surgentes a prandio perrexerunt, ut locum desideratum præfatus Badilo certius inviseret nutu eorumdem senum, qui pariter egredientes ostenderunt illi, veluti jam concivi domestico, mausoleum intra sacrarium principalis ecclesiæ honorificentissime editum, de quo fore non poterat dubium, quin cæleste servaret præmium.

31 Scriptura * denique mausolei ejusdem referebat, ejus corporis gleba intus servaretur. Erat enim per totam superficiem ipsius instar anaglifi * operis, qualiter illa gratissima Jesu Christi Domini Maria in domo quondam Symonis pedes illius suis lachrymis lavans * et capillis deterisit, ac quomodo ejus caput omnium sacrerrimum manibus suis perungens dulciter linivit. Similiter quoque iconia ejusdem Mariæ ubi Dominum interrogans ortolanum * putabat, et qualiter tenens pedes ipsius adorabat eum. In dextro quippe latere veluti cum ad sepulchrum Domini veniens aromata defererebat, angelica colloctione frui meruit, deinde vero

Octobris Tomus IV.

ad Apostolos veniens, quæ viderat, nunciavit. Hæc omnia cernens Badilo, talium sedulus persecutor, ultra quam profiteri poterat, latabatur; arreptisque ligonibus et scopis, tam ipse, quam sui sequaces fragmenta carbonum et cineres a loco expulerunt, et prout valuerunt, ab omni spurcitiâ eundem mundissimum fecerunt. Deinde altaribus restauratis, pannisque ex more circumpositis, interdum Missas celebraverunt.

32 Post aliquot vero dierum * aliquanti indigenarum repedantes a captione Sarracenorum (forte eadem, quam laudatus Boucheus tom. I pag. 736 anno circiter 870 contigisse, scribit) ad patriam, eundem Bodilonem paterno affectu sibi præpositum et in cunctis advocatum instituerunt. Ipse quoque concorditer agebat ad omnes, tam animarum, quam corporum, quæ profutura cernebat *. In reedificandis quoque utensilibus quibusque assiduus laborator existens universis complacebat; sicque quinquennali lustro * inibi degens, plurimarum facultatum copiam acquisivit. Quo tempore evoluto, cepit Vir Deo devotus pertimescens intra se cogitare, ne forte more solito invidia grassante patriothicorum se mordente, seu Sarracenorum infestatione urgente, non foret commoda sibi diutius habitatio illius patriæ, revera, quod sibi magis expediebat, ob reversionem ad suos, qui eum miserant, acrius angebatur; rursusque oportunitatem capiendi pignera sacratissima, quæ toto optabat conamine, minime reperiebat. Constitutus vero in hujusmodi mentis luctamine, contulit se obnixius ad orationis confugium, Dei omnipotentis auxilium invocans, ipsamque Jesu Christi dilectricem atque ab eodem misericorditer dilectam Mariam, ut quod illis congruentius sibi salubrius expedire videretur, quantocius fieret *. Dehinc jejuniis et orationibus magis assiduus, quam frequens, cæleste præstolabatur auxilium.

33 Tandem divinitus inspiratus, oportunitate reperta, nocte quadam accedens ad sibi optime notum mausoleum, pius violator a parte pedum effregit, et quæ intus habebantur, perspexit; cernensque corpus, cute integerrima superductum, manibus pectori impositis ex more jacens extensum, gaudio repletus est. Odor namque tantæ suavitatis exinde efferbuit, ut nemo mortalium valeret effari. Quod nimirum satis juste contigit. Illius enim corpus, quæ Dominum corporatum aromatibus perungere meruit, odoratissimum omnium esse debuit. Hoc denique et beatus archipræsul Maximinus eam sepeliens intellexit, dum plurimis aromatibus illius corpus infecit. Interea nocte insecuta videbatur sibi aspiciere se quandam religiosissimam, candidissimis vestibus indutam, satisque accurate a capite circum amiciebatur; cujus etiam vox eidem Badiloni talia intimabat, NE FORMIDES, INQUIENS, QUONIAM EUNDUM EST NOBIS UNA TECUM AD LOCUM A DEO PRÆDESTINATUM. Mane vero facto, hujusce oromate * fortificatus, suos secreto convocans indixit eis, ut sequenti nocte forent parati, qualiter repatriandi iter arripere. Illi quoque hoc audientes oppido lætabantur. Ingruentis quippe noctis conticinio facto, ac preparatis utensilibus accessit ad sepulchrum, extrahens inde corpus, ut erat, sicut diximus, ex omni parte integerrimum, pannisque mundissimis involvens cum

AUCTORE
J. G.

et quo modo
inde illud,
* supple de-
cersum

supple bona
submini-
strans vel
simile quid.
* i. e. quin-
quennali
spatio
E

* al. facer

aperto prius
in quo jace-
bat, mausoleo,

P

* i. e. visu

49 cetera

AUCTORE
J. G.

clam de no-
cte Nemaus-
sum primo,
deinde sat
prope Vezeli-
acum de-
tulerit,

cetera suppellectili, quam apostare nitebatur, vehiculo imposuere.

34 Dehinc arripiens iter cum suis avidissime remeare temptabat ad propria; sicque veloci cursu properantes venerunt ad Nemausiam civitatem. Erat enim illis timoris causa permaxima, quoniam proceritas extensi corporis, quod, ut diximus, confectione aromatum, ut mos est, perdurabat solidum; ideoque non quibat parvo, seu angusto, abscondi locello. Comuni autem consilio decernentes noctu in quandam ecclesiam diverterunt, orandi gratia commanentes; ibidemque longiora corporis ossa separantes reliquo corpori applicuerunt; ac sic, minori locello composito, iter, quod ceperant, expeditius peregerunt. Venientes universi sani et integro numero, usque infra miliarium Vice-liacensis monasterii, unde profecti fuerant, ad locum, qui nunc usque CORILETUS BADILONIS nuncupatur, perveniunt. Quo in loco cepit sanctissimum corpus tanto pondere deprimi, ut quamlibet plurimi accessissent, nullatenus inde ferre valerent. Stupebant namque brachia eorum, gressusque deficientes, quid agerent, ignorabant. Pro qua re admiratione concepta, mittebant ad monasterium, qui nunciaret abbati fratribusque ceteris adventum ipsorum, nec non impedimentum itineris, quod repente acciderat illis.

ac tandem in
ipsam eccle-
siam Vezeli-
acensem,
deportavit.

35 Qui statim gaudentes cum thuribus thimiamate vaporantibus, cereisque accensis, preuentibus crucibus, niveis vestibus induti occurrerunt illis, in predicto loco invitis adhuc degentibus. Quo venientes cuncti sese humi prostraverunt, orantes omnipotentiam divinæ Majestatis, ipsamque amicissimam Jesu Christi Domini Mariam Magdalenam attentius obsecrantes, ut a loco illo deferri ad monasterium glebam sui corporis permitteret. Qui illico ab oratione surgentes, ut egredi temptaverunt, tanta agilitate perrexerunt nullum pene pondus sentientes, ut magis ipsi portari quam ut quidpiam ferrent, existimarent, ac cum summa exultatione tinnulis signorum perstreptentibus, melodiisque monachorum resonantibus, pluribus luminaribus accensis, inmittentes illud in ecclesiam, Genitricis Dei Mariæ sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli honori a principio consecratam, atque ibidem, ut decebat, honorifice xiv Kalend. Aprilis reposuerunt. Hactenus laudatus Historiæ Translationis auctor, et apposite quidem ad institutum suum præfixumque sui Operis initio titulum, de quo vide dicta num. 24. Quapropter proliam illam, quæ in predicto codice Ms. Translationem illam excipit, parergorum miraculorumque farraginem, utpote a præstituto auctoris scopo alienam, atque ab alio quodam, multo uti videtur, ipso juniore profectam, hic prorsus missam facio, nonnulla in recitatum auctoris narrationem obseraturus.

In recitatum
auctoris
Translationis
narrationem

36 Ac præ ceteris vero, etsi, ut supra ostendi, Translationis auctor non serius, quam medio seculo x, scripsisse videatur, atque adeo translationi, quam enarrandam suscepit, satis vicinus vixerit, ut rei a S. Badilone gestæ substantiam satis credibilem reddat; non tanti tamen habenda videtur ejus auctoritas, ut ob hanc solam verum S. Mariæ Magdalene corpus reclamantibus non immerito Provincialibus certo eripiendum esse statuatur. Ad hoc enim necesse foret, ut in sepulcro illo, unde S. Badilo sacrum aliquod integrumque corpus extraxit, re ipsa tunc tem-

poris B. Mariæ Magdalene corpus jacuisse, nec antea inde, uti tamen Provinciales contendunt, alio translatum fuisse, certioribus argumentis demonstrasset. Quod cum non præstiterit, id unum num. 21 contendi, sat probabiliter dici posse S. Badilonem creditum S. Mariæ Magdalene corpus e Provincia Vezeliacum detulisse, sive interim sacrum illud pignus, quo Vezeliacenses gloriantur, re ipsa verum sincerumque ejusdem Sanctæ corpus sit, sive illud apud Sammacinienses PP. Dominicanos in Provincia etiamnum requiescat; qua de re contentiosum funem trahere nolo, ac vel idcirco maxime, quod quæstio hæc aliterque ejusmodi ad institutum meum proxime non pertineant.

37 Ut ut sit, equidem ex Testimonio Caroli regis, non alleri, ut ex Francorum regum serie et ex jam dictis patet, quam Carolo Crasso vel Carolo Simplici adscribendo, illo nempe, quod anno Domini MCLXV cum creditis S. Mariæ Magdalene Reliquiis subtus ecclesiæ Vezeliacensis magnum altare a duobus episcopis inventum fuit, indubitatum fit, senescente seculo IX fuisse reconditum Vezeliaci sacrum aliquod corpus, quod beatæ Mariæ Magdalene credebatur; idque apud primæ congruit recitatæ Translationis verbis, quibus sacrum illud pignus a Badilone, binis illis regibus coævo, e Provincia eo delatum atque honorifice xiv Kalend. Aprilis repositum fuisse, asseritur. Testimonium illud litterasque Guidonis de Melloto, Autissiodorensis, et Petri Pancedensis episcoporum, eodem spectantes, habes tom. 5 Julii pag. 209 col. 2, numm. 124, 125, et 126, quos, si lubet, consule. Ceterum, si prædictæ Translationis auctor in relatis præsertim numm. 32 et 33 facti hujus adjunctis vulgi rumorem secutus non fuerit, aut si ipsemet rem eam mirabilibus pro suo genio non insperserit, oportet, ut etiam Badiloni nostro et Vezeliacensibus monachis ea insederit opinio, qua tum temporis passim licitum piumque credebatur, Sanctarum pignora, quæ quovis loco condita, at non satis magna in veneratione essent, quavis industria clanculum inde auferre, ad easque deportare ecclesias, in quibus celebriori cultu afficienda esse, spes foret. Qua in re Virum sanctum excusare, quam temere culpæ malim.

38 Modo in annum ipsum, quo S. Badilo sacrum illud pignus Vezeliacum detulit, inquisivisse juerit. Cum ex dictis num. 12 S. Badilo non ante annum 878 Vezeliaci monachus degerit, consequens fit, ut, si eum quinquennali lustro, seu annis quinque in Provincia commoratum esse, Translationis auctor recte scripserit, saltem non citius, quam anno 883 Vezeliacum cum sacris illis Reliquiis redire esse potuerit; contra vero, si verba libri 4 Historiæ Vezeliacensis tom. 3 Spicilegii Acherii primæ editionis pag. 640 audiamus, quibus nempe Annus Verbi Domini incarnati millesimus, centesimus sexagesimus sextus, exceptionis sacri corporis B. Dilectricis Dei Mariæ Magdalene ducentesimus octogesimus sextus esse asseritur, consecrarium fit, ut saltem non serius, quam anno 881 S. Badilo sacrum illud pignus ad Vezeliacenses suos detulerit, utque adeo triennio ad summum in Provincia commorari potuerit. Ad utriusque sententiæ adhærendum? Respondeo, mihi tutius videri, si Vezeliacensis Historiæ auctori, accurate religioseque epochas eo loci referenti, in hoc fidem habeamus, quam quidem Translationis scriptori, qui annum, quo translatio contigit, exprimere neglexit, quique singula

A *singula ejusdem adjuncta non adeo perspecta habuisse videtur, ut par ei in omnibus adjungenda fides sit. Huc adde, quod Sermonis num. 23 laudati auctor, monachorum Vezeliacensium in Provinciam iter eorumque inde ad suos reditum non multis mensibus peractum fuisse, scribat; ut adeo et ex hoc capite fiat verisimilius, non usque ad annum 883, translationem illam, cujus præcipuus administer fuit S. Balido, esse differendam. An vero S. Badilo primo anno, quo Vezeliaci degere cepit, num contra sub secundi cunctatæ finem aut tertii initium in Provinciam, quo inde sacras illas Reliquias deferret iisque Vezeliacensem jam monachis concessam ecclesiam dilaret, ab Eudone abbate missus fuerit, remque sibi demandatam prospere exsecutus fuerit, in medio relinquat, sat prope tempus, quo hæc S. Badilonis gesta statui possint, definiisse contentus.*

§ III. Sancti gesta in Belgio tempusque emortuale discutiuntur :
B ejus in sacris Fastis memoria :
Reliquiarum translationes : ecclesiasticus Lutosæ cultus.

S. Abbas, de
cujus gestis
monumenta
vetera non
cestant,

Quo anno S. Badilo, ex Vezeliacensi monachio abbas creatus, Lutosano monasterio indubie præesse coperit, quid certo apud Belgas præclare gesserit, ac denique quandonam piissimam animam ad Superos transmisit, frustra apud vulgatos auctores synchronos suppareque indagavi. Altissimo horum de hisce rebus silentio aliud anno 1741 die 2 Julii accessit malum, nimirum funestissimum ecclesie Lutosanæ incendium, quo duo illa volumina, quibus sub annum 1300 Joannes Dulebieg, Lutosani capituli decanus, ecclesie suæ monumenta chartasque veteres collegerat, et inde saltem lxx aliqua S. Badilonis gestis temporique emortuali affundi potuisset, voraci flamma absumpta fuere. Hanc quidem luctuosam admodum jacturam utcumque saltem, quantum ad S. Badilonem spectat, resarcire conatus est R. A. D. Hubert, Lutosani Canonicorum collegii ad status Hannoniæ jam pridem deputatus, cum eruditi Reverendique admodum Domini Dionysii Cambier, abbatis S. Martini Tornacensis præpositi, rogatu, quascunque ad illustrandam ecclesie suæ Patroni memoriam mihi utiles fore censuit, repertas notitias factasque a se observationes collegit mihi que humanissime transmisit; at vero tametsi optimam viri voluntatem summamque diligentiam non possum non grato animo extollere, tamen, quod vehementer doleo, præter pauca quædam, ad Sancti ecclesiasticam venerationem spectantia documenta, suo inferius loco recensenda, nullum prorsus ab eo mihi suppeditari potuit sat bonæ notæ instrumentum, ex quo S. Badilonis emortuale tempus exacte definiretur, aut ejus in Belgio gesta mihi innotescerent.

recte tradi-
tur Lutosam
venisse cum
sociis anno
circiter 884.

40. Ne tamen postrema vitæ ejus pars tempusque emortuale intacta prorsus prætermittantur, visum est, ea saltem, quæ ex antiqua fama Hymnoque S. Badilonis infra edendo, passim perhibentur, ad examen vocare, quidque de

singulis probabilius existimandum mihi videatur, candidè edicere, relicta ceteroqui erudito lectori aliter de iis sentiendi libertate. Si Comuni Lutosanorum opinione verbisque laudati Hymni standum sit, sanctus Abbas cum sociis aliquot, haud dubie Benedictinis, qualis et ipse erat, e Vezeliacensi cenobio in Burgundia, quo memoratum supra sacrum corpus antea detulerat, Lutosam venit eodemque ejusdem corporis partem insignem attulit, quæ multis seculis honorifice illic asservata fuit. Quod ad asserti hujus substantiam attinet, non video, qua ratione admitti hæc non possit, cum nihil contineat, quod alienum a vero sit, quodque ex adverso jam ante dictis ac porro de S. Badilone dicendis non apprimè consonet. Quod autem ad facti epocham spectat, sane ex iis, quæ de Sancti nostri ætate factaque memorati sacri corporis translatione jam supra disputata sunt, dubitandum non est, quin saltem non citius, quam anno Christi 881 Lutosam missus fuerit abbas; imo vero, eum non multo prius in Belgium venisse ac Lutosanum monasterium gubernasse, arbitror, quam paulo pacatiore tempore, anno videlicet 884, quo et monasterium B. Mariæ Tronchiniense juxta Gandavum Balduini Calvi, Flandrorum comitis, cura reedificari inque illud regulares monachi cum Joanne antistite reduci ceperunt, ut Meyerus ad eundem annum 884 in Annalibus Flandriæ fol. 14 verso scribit.

AUCTORE
J. G.

41. Profecto turbatum concussumque nimis ab Normannorum incursionibus ab anno 880 usque ad 883 nostrum Belgium fuit, quam ut sine cocævo supparive teste S. Badilo eo intervallo e Burgundia illuc advenisse sacrisque Reliquiis, de quibus actum supra est, Lutosanum monasterium ditasse, affirmari debeat. Atque idcirco haud satis intelligo, qua ratione in laudato Hymno Sanctus noster tunc temporis, cum Lutosam de Reliquiis partem tulit cum sociis, mox reversus ad propria esse, asseratur. Etenim, cum ex dictis natione Aquitanus probabilis fuerit, atque etiam anno 881 in Vezeliacensi cenobio degerit, qui, queso, dici potest tunc reversus ad propria esse, qui ante ne pedem quidem in Belgium intulisse, apud antiquos legitur? Apud antiquos, inquam, quod minime Saussayum morror, qui sine ullo teste S. Badilonem Lutosani loci regularem præfecturam gessisse narrat, priusquam a Gerardo Rossilonio, Burgundiæ comite, (quem Carolo Martello perperam quoque cocæbum facit) rogatus fuerit, ut ex Aquensi tractu S. Mariæ Magdalænæ Reliquias in Burgundiam afferret, uti pag. 703 Martyrologii ejus Gallicani legere est.

minus tamen
accurate as-
seritur, inde
reversus esse
ad propria,

42. Nec video quoque, qua ratione verba hæc: Reversus ad propria, diverso prorsus sensu exponantur, quasi vero Sanctus, delatis jam Lutosam memoratis Reliquiis, in Burgundiam aut in Aquitaniam, veluti ad propria, reversus fuerit. Quippe cum Lutosanæ ecclesie abbas tunc esset, ipsoque item Hymno testante, vitam duxerit justitiæ, quis sibi in animum inducat, eum commissi sibi monasterii curam mox alteri demandasse, nullaque sat verisimili cogente ratione, illic, unde paulo ante venerat, rediisse, hincque iterum remeasse Lutosam, ubi tandem animam Creatori, corpus terræ redderet. Si in re admodum obscura divinare liceat, crediderim, S. Badilonem, Lutosano monasterio præfectum, mox, ut licuit, omnes veri abbatis partem coram explevisse, atque adeo, sin minus nativam

quocumque
modo hæc
verba expo-
nantur,

et

AUCTOR
J. G.

et primigeniam, sinceram certe veroque consonam hanc hymni illius esse lectionem: Lutosam de Reliquiis partem tulit cum sociis, conversus ad propria; ut sensus sit, sanctum Abbatem, cum e Vezeliacensi in Burgundia cenobio ad proprium, seu curæ suæ demandatum monasterium se convertit, eo etiam adducisse socios quosdam Benedictinos, qui illud secum incolerent, unaque sacras detulisse Reliquias, quibus Lutosanam ecclesiam, damna fortassis non pauca a Normannis passam, ad pristinum splendorem recocaret.

nec dici potest, in ejus, velut ante defuncti, honorem,

43 Ex eadem jam fixa a me S. Badilonis in Belgium adventus epocha simulque ex recensito num. x Gerardi comitis Testamento consecrarium quoque fit, ut saltem verosimilius emendandus quoque eo loco sit ecclesie Lutosanæ Hymnus, quo loco inter ecclesias, a laudato comite fundatas, Lutosanam ecclesiam in honore Badilonis ope et rerum copia dotatam ab eo, canit. Etenim, uti ex citato num. x manifestum est, jam tum comes ille, cum Ludovicus Pius in vivis etiam erat, liberalissime honoribus et dignitatibus ornatus fuerat; ac proin, si anno 840, qui Ludovico Pio emortualis fuit, vel triginta dumtaxat anni Gerardo comiti tribuantur, necesse fit, ut in honore Badilonis, qui, uti infra num. 46 dicitur, probabiliter non multo ante seculi ix exitum ac fors tantum ineunte x defunctus est, dotari ab illo comite non potuerit Lutosana ecclesia, quin hic nonagenarius eove major statuatur; quod postremum an sine antiquo vade fidem inventurum sit, vehementissime dubito. Quin imo tametsi revera Gerardus comes anno dumtaxat 890 vita functus esset, uti epitaphium aliquod, in Pulteriensis ecclesia haud ita pridem ei positum, perhibet; ne sic quidem in honore S. Badilonis Lutosana ecclesia a Gerardo comite dotata esse dici poterit, nisi abbatem nostrum jam ante annum 890 defunctum, Coelitumque honoribus mox a suo obitu affectum fuisse, indubio aliquo testimonio probatum, aut certe plausibili aliqua ratione ostensum fuerit.

sed contra in ejus adhuc viventis gratiam

44 At forsitan, non in honore Badilonis, jam ante, ut ex se verba sonant, sanctissime defuncti, sed, uti medio ævo haud raro loquebantur, in amore Badilonis, seu ex Gerardi comitis benevolo in eum etiam viventem affectu Lutosanam ecclesiam dotatam fuisse, Hymni auctor asserere voluerit? Si ita sit, ei minime refragor, cum fieri facile potuerit, ut Gerardus comes jam septuagenarius, seu anno octavo, ex quo Vienna Allobrogum, uti ad annum 871 Annales Bertiniani narrant, secesserat, Lutosanum monasterium, fiduciario verisimiliter modo ex seculi illius consuetudine a se possessum, S. Badilioni ob perspetas virtutes, nobilissimos natales sive addictam acquirendo S. Mariæ Magdalænæ corpori indefessam operam, cum legitimi abbatis titulo, quantum in se erat, gubernandum destinavit, eoque intuitu illud bonorum suorum, in hodierno Hannoniæ comitatu sitorum, non exigua parte locupletavit.

a Gerardo comite dotata fuisse Lutosana ecclesia.

45 Ita certe auctor antiquæ cujusdam Gerardi comitis Vitæ, cujus fragmentum dumtaxat habeo, aliquando censuit, qui, si alicunde satis vicinus Gerardi temporibus vixisse, probari posset, opinionem hanc meam vix non indubiam redderet. Ejus verba audi: Hic comes, dictus Gerardus, in suo dicto comitatu Nerviensis (a Nervii, qui Julii Cæsaris ætate ad dextram

Scaldis ripam atque adeo et in hodierno Hannoniæ comitatu sedes habebant, sic dicto) plures ecclesias construxit, ut puta abbatiam de Luthosa, in qua instituit abbatem S. Badilonem confessorum etc. Verum enimvero, ut sit de scriptoris hujus ætate ac vel de ipso anno, quo Gerardus comes Lutosanæ ecclesie sese munificum præbuerit, equidem antiqua satis traditio constansque ab omni retro tempore Lutosanorum in Sanctum nostrum atque in Gerardum comitem gratus animus ac denique communis auctorum, qui S. Badilonis ac Lutosanæ ecclesie meminerunt, consensus non leve indicium præbent, re ipsa aliquando in S. Badilonis gratiam ab eodem comite dotatam largissime fuisse ecclesiam illam, in qua, teste Balderico cit. lib. 2, cap. 43, vir Dei venerabilis Badilo seculo etiam xi quiescebat, et in qua hodieque sacræ ejus Reliquiæ insigni veneratione ecclesiastica, hocce præsertim die, quotannis afficiuntur.

46 Celerum, tametsi, ut jam supra monui, emortualem Sancti annum diemque monumenta antiqua non exprimant, nec porro quidquam, unde alleretur saltem erui certo posset, nobis suppeditent; nihilominus tamen haud multum a vero eum abfore existimo, qui eo ipso die, quo præcipua Sancti solennitas Lutosæ agitur, hunc quoque ad Superos migrasse, dixerit; quandoquidem, licet Sancti quidam die alio, quam quo præcipue in ecclesia coluntur, vita functi fuerint, multo tamen frequentius ac vix non quotidianum est, ut dies, ecclesiasticæ Sanctorum venerationi dicatur, idem prorsus cum illo sit, quo et felicem animam celo inseruerunt; quod, cum nihil in contrarium militet, de S. Badilonis festo die non temere credi posse videtur. Ad annum autem ejus emortualem quod spectat, cum sine veteri documento Sancti Abbatis regimen aut nimis breve, aut nimis diuturnum adstrui nequeat, illum vel exeunti seculo ix vel ineunti x interim innectendum censui, donec (quod Superi dent!) monumenta quædam prodeant, quæ nos certiora de emortuali ejus tempore edoceant. De virtutibus rebusque gestis, quibus Abbas noster in Belgio enituit, tacentibus, qui hæcenus præ manibus versantur, antiquis scriptoribus, plura, quam quæ recitandus infra Hymnus refert, asserere nequeo; quamquam nullus dubito, quin ex et multæ et insignes admodum fuerint. talesque, ut non immerito abhinc compluribus seculis pro vere Sancto ac venerabili Viro Dei habitus legitimoque cultu affectus fuerit, quo de ut pluribus agam, locus postulat.

47 A Fastis ecclesiasticis, in quibus Sancti memoria celebratur, initium duco. S. Badilonem hoc die viii Octobris memorat in Natalibus Sanctorum Belgii Molanus, seu ex Molani schedis Petrus Louvius, editionis Lovaniensis anni 1595 fol. 218 verso ita scribens: Eodem die (viii Octobris) festum sancti Badilonis, de quo canitur Lutosæ: "Abbas hujus ecclesie vitam dicens justitie quondam fuit Badilo." Eum quoque Gazetus in suo Sanctorum, qui in Cameracensi diocesi coluntur, Catalogo (ad istis ejus Historiam ecclesiasticam Belgii pag. 60) ut vere Sanctum celebravit, imitatoresque habuit Constantinum Ghiniuum in SS. Canonicorum Natalibus fol. 73 et Saussayum in Martyrologio Gallicano pag. 703, qui ambo sat longum insuper S. Badiloni elogium texerunt. Miræus item in suis Fastis Belgicis et Burgundicis, Willotus in Martyrologio seu Hagiologio Belgico pag. 99, Simon

A *Simon de Peyronnet in Catalogo Sanctorum pag. 29, ac Menardus in suo Martyrologio Benedictino sanctum Abbatem nostrum ad hunc diem memorarunt, quorum postremus huic suæ annuntiationi: Luthosæ in Belgio S. Badilonis abbatis, ampliore Sancti notitiam, veluti elogii loco, Observationum suarum lib. 2, pag. 716 subdidit, quam ego, utpote multo magis, quam bina superioribus indicata eogia, veritati consonam, præ hisce huc totam, ac veluti Sancti vitæ compendium, transfero.*

a Menardo
in Observa-
tionibus su-
is,

48 Sic habet: S. Badilo fuit monachus Vizeliacensis in Burgundia; deinde abbas Luthosæ in territorio (id est, diocesi) Cameracensi, in qua abbata, quæ modo est canonicorum, vir Dei venerabilis Badilo requiescit, inquit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii (imo rectius partim ex Balderici Chronico, partim ex Molani schedis, Petrus Louwicus) ubi subjungit (nempe *Natalium Sanctorum editor*) ipsum Badilonem missum fuisse ab Endone abbate et Gerardo comite de Roussillon ad Aquensem civitatem, ut tolleretur corpus sanctæ Mariæ Magdalene (de quo vide dicta § 2) et Vizeliacum transferret. S. Badilo floruisse videtur circa annum Domini octingentesimum septuagesimum nonum, quo in Franciam venit Joannes VIII, Pontifex maximus, qui ob incursiones Saracenorum Vizeliacense monasterium dedit monachis sancti Benedicti, alio translatis monialibus, in quarum gratiam hoc monasterium edificatum erat sub Regula S. Benedicti a Gerardo de Roussillon, comite Nivernensi et Burgundia; ut habetur in Fragmento veteri de fundatione cœnobii Vizeliacensis, quod refertur a doctissimo viro Andrea du Chesne in Notis ad Librum secundum Collationum S. Odonis, abbatis Cluniacensis. Hactenus Menardus, a Molano, quem laudat, seu Petro Louwio, aliisque multis, S. Badilonem ad Caroli Martelli tempora, seu ad annum circiter 739 retrahentibus, rectissime discedens, uti ex iis, quæ de Gerardi comitis ætate extractivæ ab eo Vezeliacensis cœnobii epocha superiori § disputata sunt, manifeste patet.

singulari au-
tem modo
Castellano,

49 Hagiologis hisce adjungi merentur vini alii, Castellanus nempe et Philippus Brasseur; ille, quod singularem prorsus Sancti nostri annuntiationem proferat, in quam nonnulla observanda sunt; hic vero, quod paucis versibus et Sanctum celebret, et cœnobii ejus cultusque ecclesiastici historiam simul perstringat. Castellanus verbis hisce, sed Gallicis, in suo ad hunc diem Martyrologio loquentem sisto. Lutosæ prope Athum in Hannonia, inquit, S. Badilonis, ejusdem loci abbatis, qui corpus S. Mariæ Bethanitis Hierosolymis Vezeliacum in territorio Nivernensi attulit, seculo nempe, uti ad marginem notatur, xi. Hæc modo obiter expendamus. Assignata jam mox memorati facti, seu potius Sancti obitus epocha, haud dubie solo typothetæ errore perperam expressa fuit positumque seculum xi, ubi auctor seculum ix expressum voluit. Id sane ex iis, quæ Castellanus tom. 1 Martyrologii Romani, Notis illustrati, pag. 343 de Mariæ Bethanitide scribit, pronum est erui. Quod autem non Mariæ Magdalene, sed Mariæ Bethanitis corpus Vezeliacum a Badilone allatum illic scribatur, id non item typothetæ incuriæ adscribendum est, sed ipsemet Castellano, qui consulto et cogitato hoc scripsit, ex eo nimirum, quam complectebatur, sententia, quæ Mariam

Magdalenam a Mariæ Bethanitide plane diversam, hancque in Judæa, illam vero Ephesi defunctam, adstruit; quæ de opinione vide disputata a Sollerio nostro cit. tom. 5 Julii a pag. 188 usque ad 203. At, sive una eademque fuerit mulier, quæ Mariæ Magdalene, quæque Mariæ Bethanitis vocatur; sive ex adverso diversæ fuerint; tanti eadem ponderis mihi non est Castellani, aut qualiscumque sparsi in Belgio seculo xi rumoris auctoritas, ut S. Badilonem, prout et supra monui, Hierosolymam profectum esse, indeque Mariæ Bethanitis, quod Castellanus contendit, sacrum corpus ad Vezeliacense cœnobium attulisse affirmari queat.

50 Nunc ad Philippum Brasseur, apposite magis ad institutum nostrum de Sancti gestis ac cultu loquentem, pergamus. Sic igitur ille in suo Panegyrico Sanctorum Hannoniæ pagg. 58 et 59: Tornaco subeat veneranda Lutosæ, beati Numine clara Petri, sanctæ quoque Magdalene

uctores
J. G.

et a Philippo
Brasseur,
cultum ejus
simul illu-
strante, fu-
sus quoque
memoratur,

Splendida Reliquiis, divo Badilone repertis:
Namque Saracenis in Aquense ruentibus ar-
vum,

Aggestos inter lapides, lapidumque ruinas, E
Magdalis ignotum studuit reperire sepul-
chrum:

Neve per insidias corpus raperetur, id ipsum
Mirificante Deo, Burgundis intulit oris;
Immo Lutosanam cubitum transmisit in æ-
dem

Is modo cum sancti Badilonis corpore, eodem.
Conditur in feretro, primate quod exstat in ara.
Forsitan at quaeras hujus primordia fani;
Ut paucis dicam, fundamina jecit Aman-
dus;

Induxit monachos Badilo, quibus ipsemet
abbas

Præfuit, atque inibi, resoluta carne, quievit.
Temporis at lapsu monachis per bella fuga-
tis,

Splendida canonici successit concio cleri,
Quæ modo preacti recolit stata festa Pa-
troni,

Et corpus de more sacro per compita defert,
Laetaque commemorat preacti enccœnia fani,
Magdalis a festo dum feria prima recurrit.

51 Hactenus laudatus Brasseur, haud dubie se-
cutus Molanum, seu Petrum Louwium, Natalium
Sanctorum Belgii ex Molani schedis, ut et supra
monui, editorem, similia de Sancto nostro cit. fol.
218 et 219 referentem, hoc tamen excepto, quod
S. Mariæ Magdalene Reliquias eodem feretro,
quo S. Badiloni, repositas fuisse, Molanus non di-
cat, ipse tamen Brasseur id confidentius asserat,
cum tamen sacræ illæ Reliquiæ anno 1644, quo
opus ejus typis editum est, jam tum Bruxellas
translatæ fuissent. Sed hæc obiter attigisse suffi-
ciat. Ad sancti Badilonis cultum revertamur. Cum
seculo xiii constans etiam fama vigeret, sanctum
Abbatem, e Vezeliacensi cœnobio Lutosam mis-
sum, eo S. Mariæ Magdalene brachium detulisse;
visum est Vezeliacensis, vice versa a Lutosanis
canonicis (hi enim jam tum anno 1071, uti ex
Gestis Pontif. Leodiensium tom. 2 pag. 12 colligi-
tur, monachis suffecti fuerant) partem quoque
Reliquiarum S. Badilonis exposcere, utque hæc sibi
gratia non denegaretur, deprecatores adhibere
Godefridum, Cameracensem, in qua diocesi Luto-
sa sita est, episcopum. Placuit Lutosanis æqua Vezeliacensis

F
Ejus Reli-
quias, qua-
rum pars
Vezeliacum

LECTOR
J. G.

liacensium postulatio, ac proin Sancti nostri os unum, quod Miræus, Molanus aliique Brachium S. Badilonis vocarunt, Vezeliacensibus transmisservunt, uti ex litteris Ingonis, Lutosanæ ecclesiæ decani, e Vezeliacensi tabulario depromptis, abunde constat.

anno 1221
delata fuit,
quæque illic
in generatio-
ne est,

52 *En illas*: Universi Christi fidelibus, quibus presentes litteras videre contigerit, Ingo decanus, totumque Lutosensis ecclesiæ capitulum et universum ejusdem loci conventus perpetuum in Domino salutem. Præsentium testimonio notum facimus universis, quod os illud, quod per venerabilem patrem, dominum nostrum, Godefridum, Dei gratia Cameracensem episcopum abbati et conventui Vezeliacensis ecclesiæ, ad instantiam ipsius et preces transmisimus, extat sine dubio de Reliquiis beati Badilonis, quondam ecclesiæ nostræ abbatis, qui etiam venerandum corpus beatæ Mariæ Magdalene in ecclesia Vezeliacensi quondam dicitur attulisse. Nos ad majorem rei certitudinem fecimus os præfatum memorati confessoris in loco quodam mundo sub sigillo nostro firmiter intercludi, et presentes litteras ejusdem sigilli impressione muniri. Actum in ecclesia Lutosensi anno Dominicæ Incarnationis MCCCXI Calend. Junii. *Hiscæ Lutosani capituli litteris unum addi ex laudatis Natalibus Sanctorum Belgii non abs re potest, nimirum: ad eandem S. Badilonis Reliquias eos potissimum, qui dæmone correpti erant, confluere olim solitos fuisse, indeque, patrocinante Sancto, rediisse suo malo divinitus curatos.*

anno 1602
visitatæ
fuerunt

53 *Ceterum dum jam recitatas Lutosani capituli litteras cum documento visitationis feretri S. Badilonis, anno 1602 factæ, attentius confero, mirari satis nequeo, qui factum sit, ut authentica testimonia, ex quibus Ingo decanus transmissas ad Vezeliacenses monachos Reliquias de corpore S. Badilonis esse, asseveravit, nusquam Lutosæ anno 1602 inventa fuerint, ac ne ullæ quidem litteræ attestatoriarum (verba instrumenti illius sunt) in ipso feretro fuerint repertæ, sic ut sola Lutosanæ ecclesiæ traditione asseri posse videatur, reipsa S. Badilonis caput et ossa esse, quæ anno 1602 Cameracensis archiepiscopus Guilielmus de Berghes visitavit, quæque anno 1704 e veteri feretro in magnificentius collocata fuerunt. At vero, cum nullo ex capite traditio hæc falsi argui possit, ut contra dubitandum non sit, quin Cameracensis archiepiscopus ac Lutosanæ ecclesiæ canonici in sacri corporis visitatione sufficientia veritatis indicia omnesque legitimæ traditionis notas perspexerint, quibus adeo ex prudentiæ regulis tuto fidere liceret; profecto non parum injuriosè eruditissimo illi atque a vigilantia, pietate et vitæ sanctimonia commendatissimo Præsuli, nec non toti canonicorum Lutosensium capitulo fuerit, qui, num hodieque S. Badilonis lipsana Lutosæ quiescant, in dubium vocare ausit. Ipsas modo memoratæ visitationis litteras, ut mihi a laudato R. A. D. Hubert communicatæ fuerunt, integras accipe.*

ab archiepi-
scopo Came-
racensi

54 *Sic ferunt*: Copia litterarum visitationis feretri Sti Badilonis per R. D. et illustrissimum archiepiscopum Cameracensem factæ anno MDCII, mensis Julii die x.

Decima mensis Julii anni MDCII illustri et Rēdisimus dnus Guilelmus de Berghes, archiepiscopus et dux Cameracensis, in visitatione, quam fecit, in hac ecclesia collegiata Storum Petri et Pauli Apostolorum de Luthosa, suæ diocesis

Cameracensis, aperiri jussit hoc feretrum, in quo invenit saccum coriaceum, continentem, ut per traditionem pie creditur, ossa Cpris Sti Badilonis, abbatis quondam hujus ecclesiæ, quæ erat olim Ordinis Sti Benedicti, (adi dicta § 1, quæque Philippus Brasseur num. 50 de inductis Lutosam sub S. Badilone monachis Benedictinis tradit) cum capite et plurimis ossibus in albo linteo involutis, absque tamen ullis litteris attestatoriis, in presentia venerabilium virorum vicarii generalis Valeriani du Flos, archidiaconi Brabantie Petri Manar, Cameracensium canonicorum, Petri Denys, ejusdem ecclesiæ decani, et aliorum multorum presbyterorum assistentium, quæ quidem ossa in eodem sacco reverenter repositis isdem die, mense et anno, quibus supra actum in dicta ecclesia sub ejusdem archiepiscopi signatura et contrasigillo.

55 *Hanc reliquiarum S. Badilonis post seculum unum binosque elapsos annos secuta est earum ex veteri feretro, in quo jam pridem quieverant, in magnificentiore decentioreque capsam translatio, de qua Acta, ut vocant, capitularia ecclesiæ Lutosanæ in hunc modum loquuntur*: Martis VII Octobris MDCIV. Sancti Badilonis primi abbatis (intellige Benedictini) hujus ecclesiæ sancti Petri Leuthosæ sacrum opus de feretro veteri levatum in hoc magnificentiori et decentiori collocatum est a Dño Jõe Valentino Plumling, seniore canonico, hac die presentibus RR. Dnis canonicis subscriptis. Erat signatum J. V. Plumling, P. Delniste, Michel François Del'estrée, Anselmus Quano Dominicanus Valencenensis fa. Ita transmissum ad me hujus documenti apographum, cui si, uti enixe postularam, ipsius capsæ iconismus adjunctus fuisset, eum libentissime ære exprimendum nostro dedissem calcographo, utpote minime indignum, qui hic ad Sancti gloriam lectorum oculis exhibeatur. Qualis porro hæc S. Badilonis lipsanoteca sit, ex sequentibus, paucis licet, utcumque intelliges.

56 *Inauratis laminis æreis, in capsæ modum dispositis, quibus sacræ Reliquiæ concluduntur, varia adherent ornamenta, ex argento affabre elaborata; ad quatuor inferiores lipsanothecæ angulos totidem visuntur angelorum, Sancti decora representantium, icones argenteæ, uno circiter pede altæ; superiorem vero lipsanothecæ tabulam argenteæ tegunt areolæ, quibus superstructum non vulgari industria est quadratum ex eodem metallo opus, et huic demum insertitur S. Badilonis, mitra ceterisque abbatibus insignibus decorati, herma, seu sancti statua, dimidia sui parte inferne trunca, non argentea magis materie pretiosisque lapidibus, quam forma et arte commendabilis. Atque hæc eadem est lipsanoteca, quæ anno 1741 voracibus flammis, quibus absumpta fuit Lutosana ecclesia, non sine singulari, uti apparet, Dei beneficio insignique S. Badilonis patrocinio, subtracta fuit unius D. canonici Hubert ancillulæ opera, cui tanta animi virumque firmitas concessa est, ut ipsa sola lipsanothecam illam e sublimi loculamento, ubi reposita erat, supra sacrum divinæ hostiæ tabernaculum suis manibus demiserit, atque hinc alterius ope ex ardenti templo in tutiorem detulerit locum, ad hortum videlicet ecclesiæ decani, R. A. D. d'Aubrenne, uti in suis ad me missis notitiis laudatus supra R. A. D. Hubert disertis verbis affirmat.*

A 57 *Reliqua modo, quæ S. Badilonis in ecclesia Lutosana ecclesiasticam venerationem illustrare nata sunt, ex laudatis Notitiis recitare pergo. Die VIII Octobris Sancti solemnitas quotannis celebratur Officio duplici primæ classis cum octava, quæ et aliquoties ad dies quindecim prorogatur, quo sic adversus calamitates publicas, pestilentiam, grassantes contagione febres et animantium strages S. Badilonis patrocinium impetretur. Post primas diei festi Vesperas, graviori modulo decantari solitas, demissa e superiori loco ejus lipsanotheca, solemniter supplicantium ordine ab ecclesiæ canonicis ad medium templi partem deferitur, fideliumque, undique confluentium, venerationi exponitur, phonsas decantantibus has precum formulas, seu Responsorium, ut vocant:*

Surge Badilo et nostras Christo preces aperi, vitam mundam qui duxisti; hic in terris seminasti, quod in caelis meruisti; transfer nos ad amœna paradisi. ̄. Tu requiem meruisti fine carentem adipisci. Transfer nos etc. Gloria Patri etc. Collocatis jam in pegmate Sancti Reliquiis hanc phonsas Antiphonam concinunt: O Badilo, abbas alme, speculum nostrum, lumen ecclesiæ, preces attende supplicum, ad te devote clamantium, ut nos tuos famulos tuis assiduis precibus jungas Cœlitibus; ac dein decantatis hisce: Ora pro nobis sancte Badilo, ut digni efficiamur promissionibus Christi, Orationem hanc capituli decanus concinit: Propitiare, quæsumus, Domine, famulis tuis per sancti Badilonis abbatis, qui in præsentî requiescit ecclesiæ, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper, protegamur adversis. Per Christum etc.*

58 Olim, ut jam plus semel laudatus canonicus testatur, die S. Badiloni sacro solemniter supplicantium canonicorum aliorumque clericorum agmen per totum oppidum incedebat, magno populorum concursu, insigni lætitia ac pietate, sanctique feretrum bini canonici suis humeris deportabant; verum ob exortam Lutosæ dynastiam inter et ecclesiæ capitulum controversiam, quam hujus loci non est attingere, solemnitas illa supplicatio nunc temporis circa ipsum dumtaxat templum instituitur, et S. Badilonis lipsanotheca a quatuor defertur canonicis, ac tandem octava festivitatis dies solemniter intra veteris canonicorum monasterii claustra supplicatione instituta, hymnoque Te Deum laudamus concluditur. Nunc, quem supra num. 40 memoravi, Hymnum de S. Ba-

dilone accipe, ex quo, quæ jam a seculis aliquot Lutosæ vixerit de Sancti gestis traditio, non obscure intelliges. Ita sonat.

Precor, sancte Spiritus,
Immitte donum cœlitus
In me tuæ gratiæ,
Ut extollam Sanctum digne,
Cujus opus tam insigne
Fulget hic quotidie.

Non valet mens meditari,
Nec est digna lingua fari
Ipsius præconia.

In hoc festo clerus gaude,
Lauda virum, dignum laude,
Laudandum per omnia.

Abbas hujus ecclesiæ
Vitam ducens justitiæ
Quondam fuit Badilo.

De Maria Magdalena,
Quæ cepit lacrymis plena
Christi pedes tergere,

Urbem Aquensem adiit,
Et reperit, quod petiit;
Remans Vezeliacum,

Sanctum corpus secum vexit,
Ibi corpori detexit
Sacre Deus meritum.

Lutosam de Reliquiis
Partem tulit cum sociis
Reversus ad propria.

Ecclesias dux fundavit,
Inter quas et hanc dotavit
Ope et rerum copia

60 In honore Badilonis,
Qui fretus est mortis donis
Jacens in hac ecclesia.

Et nos Christo supplicemus,
Ut eidem congregemur
In cœlesti curia. Amen.

Plura, quæ de S. Badilonis cultu asseram, nuspam inveni, nec supra jam dicta mihi aliud quidquam in laudatis Notitiis indicatum fuit, quam quod hodieque in Lutosana ecclesia pone chororum sacellum exstet, sub S. Badilonis nomine Deo sacrum, cui et annexum est ecclesiasticum beneficium, in ejusdem Sancti honorem capitulo olim fundatum. Plura si præter spem ad notitiam meam pervenerint, more nostro ad tomum hujus calcem inter Addenda locum suum invenient.

ACTORUM
J. G.

quotannis celebrari solet, exponitur,

E

ceteraque, ad cultum ejus spectantia, referuntur.

F

DE

